

Sedem promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias, & Monasteria absque dictae Sedis literis hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem contineribus accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumant: nulloque eos absque dictarum literarum ostensione recipiant, aut eis parent vel intendant. Quod si forsan contra praesumptum fuerit: quod per Episcopos, Praelatos, Abbates, Priores, & alios Monasteriorum regimina exercentes praedictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur: nec quicquam interim eisdem Episcopis vel Praelatis, Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de Ecclesiis vel Monasteriorum proventibus percipiant eorumdem. Capitula vero & Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum ipsorum, & alii quicunque ipsos absque hujusmodi dictae Sedis literis recipientes, vel obediens, eidem, tandiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc eisdem Sedis gratiam meruerint obtinere. Similiter quoque Episcopi, Praelati, Abbates, Priores, & alii Monasteriorum regimina exercentes praedicti solido fidelitatis & obedientiae iuramento non praestito. Illi etiam Pontifices, quos apud praedictam Sedem pallium contingerit recipere, absque literis traditionis ipsius pallii, nequaquam ab eadem discedant: discedentes vero (quocumque hujusmodi iuramentum praestiterint, & literas obtinuerint) nihil de ipsarum Ecclesiarum & Monasteriorum proventibus percipiant: & quicquid interim per eos, ut de aliis praedictur, actum fuerit, irritum non subsistat.

PITH. Nec non Abbates & Priores, &c. Aliud in Abbatis Monialibus, cap. indemnitate, de Elect. in vi.

II. BENEDICTUS XI. [c. an. 1304. Roma.]

Si Religiosus electus non petierit ipse, vel eius Electores licentiam consentiendi intra tempus moderatum pro praesentia vel absentia Superioris, est eo ipso privatus iure sibi ex electione quaesito, & possunt Electores alium eligere. Hoc dicit. Addit. ad ca. quam sit, de elect. in vi.

SI Religiosus, qui absque sui Superioris licentia Electioni de se facta consentire non potest, illam post electionem sibi praesentatam, vel eius electores intra tempus pro eisdem Superioris praesentia vel absentia moderandum nequaquam obtineat: dat generale Concilium Lugdunense Electoribus ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam facultatem. Verum quia frequenter dubitatum est, an etiam sit eo ipso iure, si quod ei competeat ex hujusmodi electione, privatus: statuimus illo, cum hoc ipso fore privatum.

III. IDEM. [c. an. 1304. Roma.]

Quatuor Patriarchalibus Ecclesiis vacantibus, statuitur illis non posse provideri Romano Pontifice inconsulto: quod si secus factum fuerit, irritum decernitur.

a Vide notata per Doct. in c. Antiqua. Extra. De Privileg.

Sancta Romana Ecclesia, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum a Deo, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra, quatuor Patriarchales Sedes instituit, inter quas post ipsam Romanam Ecclesiam Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, & Hierosolymitanam quartum locum voluit obtinere, ipsaque multis prerogativis & honoribus ac privilegiis decoravit, de quarum provisionibus cum eas vacare contingerit, tanto est accuratius cogitandum, & attentius providendum, quanto majoris eminent altitudine dignitatis, & periculose erraretur in provisionibus earumdem. Super hoc igitur cum fratribus nostris habita deliberatione matura, inter alia nostrae considerationis occurrat, quod omnes (proh dolor) praedictarum Sedium Patriarchalium civitates, aut sunt destructae, aut occupatae ab infidelibus vel a schismaticis detinentur, ipsarum Capitulis seu Conventibus & Canonicis dispersis undique extra civitates ipsas, per alias regiones, seu loca a civitatibus ipsis remota. Ex quo contigit (sicut experientia nuper nos docuit) quod vacante Constantinopolitana Ecclesia, per mortem bonae memoriae Petri Patriarchae, solum per unum duntaxat eius Canonicum fuit de novo Pastore electio celebrata, alii Canonici suis agentibus in remotis: dictus tamen electus iuri, si quod sibi ex electione hujusmodi competeat, in nostris manibus sponte, ac libere resignavit. Ideoque de eorumdem fratrum consilio & Apostolicae potestatis plenitudine statuimus, ut quamdiu civitates ipsae schismaticorum, aut infidelium subsunt, aut suberunt ditioni, aut detinentur per eos, Canonici dictarum Patriarchalium Sedium, cum eas vel ipsarum aliquam, seu aliquas vacare contingerit, ad electionem, postulationem, seu quamvis provisionem de praeficiendo sibi Patriarcha vel Pastore nullo modo procedant, quousque ad Apost. Sedis notitiam deducatur. Nos enim a data praesentium decernimus irritum & inane, si secus per praedicta Capitula, Conventus vel Canonicos, aut quemvis alium vel

alios scienter vel ignoranter fuerit attentatum: non obstantibus quibuscumque ipsarum Ecclesiarum, vel alicujus earum consuetudinibus vel statutis, iuramento, confirmatione dictae Sedis, vel quacumque alia firmitate vallatis, seu constitutionibus, privilegiis, vel indulgentiis Sedis ejusdem, per quae effectus praesentium impediri possent quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris literis habenda esset mentio specialis. Nulli ergo, &c. Data Laterani, x. Calend. Januarii, Pontificatus nostri anno ij.

IV. JOANNES XXII. [c. an. 1316. Avinion.]

Cum beneficia apud Sedem Apost. vacantia sint soli Papa reservata, ostendit, quae & quorum apud Sedem vacare dicantur eandem. Et primo loquitur de reservationibus, secundo de pensionibus.

EX debito Pastoralis officii, nobis quanquam immeritis superna dispositione commissi, periculis animarum & Ecclesiarum ac Monasteriorum dispendiis, quae ob ipsorum vacationes diutinas ipsis solent frequentius provenire, congruis remediis, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter occurrere intendentes, ut celerius & utilius provideatur Ecclesiis, ac Monasteriis antedictis: & ut Rom. Eccl. quae super ipsas Ecclesias, ac Monasteria ex divina provisione obtinere dignoscitur principatum, honor debitum impendatur: praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, praesertim feli. record. Bonif. VIII. qui dignitates, personatus, Ecclesias & alia Ecclesiastica beneficia, & Clem. V. qui tam hujusmodi dignitates, personatus, Ecclesias, beneficia, quam Cathedralis Ecclesias quaslibet, Monasteria, Prioratus, administrationes & Officia quaecumque, quae apud Sedem Apostol. vacarent, provisioni Apostolicae sub certis tenoribus reservaverunt, vestigiis inherentes: Nos ex causis rationabilibus, quae ad id nostrum animum induxerunt, de fratrum nostrorum consilio, nonnulla detrahendo, aliqua declarando, & quadam addendo de novo, Episcopales, & earum Superiores Sedes, Monasteria & regulares Ecclesias, ad quae hi, qui eis pro tempore praeficiendi sunt, etiam per electionem Canonicam assumuntur, Prioratus Officia vel administrationes eorumdem, dignitates, personatus, praebendas, aliaque Ecclesiastica beneficia cum cura vel sine cura, quocumque nomine censeantur, quae apud praedictam Sedem vacant ad praesens, & ex tunc in antea (donec Christi dignatio nos dignabitur universalis Ecclesiae sponsae hujus regimini praesidere) vacare contingerit apud eam: provisioni nostrae de fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolicae reservamus. Hujusmodi autem Sedes, Monasteria, Ecclesias & alia praefata beneficia Ecclesiastica, per mortem vel depositionem, ac privationem eorum, qui ea obtinent: per electionem cassationem, postulationem repulsionem, renunciationem, quorumbilibet provisionem, translationem, sive per successorem muneri consecrationis, aut benedictionis dudum a dicto Clemente praecedel. no. promotis impensi: nisi de ipsis disposuerit praedecessor, & a nobis, sive auctoritate nostra promovendis impendendi, apud Sedem ipsam, vel etiam ubicumque, aut quovis alio modo, Canonicè vacare apud Sedem intelligimus praesentibus. Episcopales insuper vel alias dignitates, Ecclesias, Monasteria, & alia praedicta fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium apud dictam Sedem, per eorum obitum vacare censemus, sive inibi, sive alibi ubicumque ipsos migrare contigerit de hac luce. Et hoc idem in dignitatibus & beneficiis quibuscumque, ut de aliis praemittitur, Officialium nostrorum: videlicet Vicecancellarii, ejusdem Ecclesiae Camerarii, Notariorum Auditoris contradictarum, Correctorum, Scriptorum literarum, ac Penitentiariorum nostrorum, necnon Abbreviatorum Curiae Romanae locum sibi volumus vindicare. Rursus hujus nostrae reservationis edictum ad dignitates, & alia jam dicta Capellanorum nostrorum commensalium, & quorumbilibet aliorum ratione officii, vel ex causa legitima in dicta curia morantium, quando a nobis pro nostris, & ejusdem Sedis negotiis prosequendis, de ipsa curia quocumque modo praemissi, vel aliqui eorum transmissi, aut Legati vel Nuntii fuerint: & eos ubilibet ante ipsorum ad praefatam curiam reditum (durante legatione, seu prosecutione ipsorum negotiorum) rebus eximi contingerit ab humanis, duximus extendendum. Et idipsum etiam esse volumus in hujusmodi Capellanis commensalibus: etiam si, ut praemittitur, nunc transmissi fuerint ubicumque, & ipsos rebus eximi contingerit ab humanis. Ceterum edictum ipsum trahimus ad Sedes, Monasteria, & alia supra dicta, quae vivente adhuc dicto Clem. praedecessore nostro usque ad ejus obitum, nisi de ipsis per eum fuerit ordinatum, & deinde usque ad datam praesentium apud Sedem vacaverint eandem: illaque vacare decernimus apud ipsam, dummodo in eis ius in re, licet ad rem non sit aliquibus acquisitum: Decernentes extunc irritum & inane, si secus in praedictis & singulis eorum scienter vel ignoranter, per quaecumque seu quocumque Apostolica vel alia quavis auctoritate attentatum fuerit, vel contingerit in posterum attentari: Non obstantibus pie memoriae Gregorii Decimi, ac Bonifacii Octavi, & aliorum Romanorum

norum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus super hoc editis: quatenus edito essent, & sunt contraria memorato. Ceteris in ipsis constitutionibus contentis, in suo robore duraturis. Pensiones insuper annuas ab Episcopis & eorum Superioribus, aliaque Praelatis inferioribus, necnon quibuscumque Capellanis, Conventibus, Collegiis, vel singularibus personis factas & faciendas personaliter, aliquibus ex eisdem Cardinalibus, seu quibusvis aliis ex praenominatis personis, & pensiones praeterea seu assignationes quantarumlibet super certis Provinciis, Dioecibus, Ecclesiis, Monasteriis, & aliis Ecclesiasticis locis aut Ordinibus: etiam a quibusvis praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus factas praemissis personis, sive aliqui earumdem vel Monasteria, Prioratus, Administrationes quaslibet, beneficia regularia vel alia quaelibet quocumque nomine censeantur: non consueta ab olim Clericis secularibus assignari: hujusmodi personis vel alicui earumdem collata, sive concessa in commendam, vel alio quovis titulo ab eisdem praedecessoribus, seu aliis Episcopis, vel Superioribus Praelatis, Capitulis, aut Conventibus, vel Collegiis, sub edicto praedicto nolumus aliquatenus comprehendendi, quo minus eis cedentibus vel decedentibus: sive illa quovis alio modo dimittentibus, Monasteria ipsa, Prioratus, Administrationes, Beneficia, ac loca hujusmodi, ad Ecclesias & Monasteria sive alia loca religiosa, vel alia Ecclesiastica: eorumque Praelatos, sive personas, ad quas antea eorum dispositio pertinebat, seu quibus immediate subesse noscuntur, libere revertantur: nisi eis quid Canonicum obstitit, vel de ipsis aliter duxerimus disponendum.

DE AUCTORITATE ET USU PALLII

TITULUS IV.

I. JOANNES XXII. [c. an. 1318. Avinion.]

Pallii traditio per obiectum criminis vel defectus retardari non debet, nisi obiectis praemisso iuramento, de obiectis promptam fidem faciat. Et quid sit promptam fidem facere, declarat.

MALITIAS hominum, quae saepe circa impediendam pallii dationem committuntur, volentes salubriter obviare: hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut deinceps per obiectum cuiusvis criminis, seu defectus traditio pallii faciendi iis, qui ad metropolitanarum Ecclesiarum, seu aliarum regimen assumuntur, non impediatur in aliquo nec retardetur, nisi obiectis firmiter corporali praestito iuramento, sed id malitiose non agere, sed obiecta vera esse se credere, ac de obiectis offerant facere promptam fidem: & nihilominus ad poenam talionis, seu extraordinariam se obligent arbitrio praesidentis. Promptam vero fidem intelligimus in hoc casu, si intra bimestris temporis spatium numerandum a die collationis in antea probaverint legitime, quod opponunt. Quod si non fecerint, eorum obiectibus nequaquam obstantibus, ad ipsius traditionem pallii procedatur. Per traditionem autem hujusmodi, viae accusationis, denunciationis, vel inquisitionis nullum volumus praedictum generari.

DE OFFICIO CUSTODIS.

TITULUS V.

I. JOANNES XXII. [c. an. 1323. Avinion.]

In Religiosorum Mendicantium Conventibus plures campanae esse non possunt sine speciali Papa licentia: plures autem campanas in refectoriis, capitulis & alibi licet possint ipsi Religiosi mendicantes habere. Hoc dicit. Et est Extravagans notabilis: & quia pulsare campanas est custodis officium, ut patet eo. titu. cap. 1. in ant. ideo hic non abs re collocata est.

QUIA cunctos orthodoxae fidei professores, & viros praesertim Ecclesiasticos sic hortamur ad invicem & quoad alios etiam conversari, quod ex ipsorum gestis nullus offendatur iustitia, nec cuiquam scandalum materia praeparatur. Advertentes quod eo quod nonnulli mendicantium Ordinum professores in nonnullis suis conventibus plures campanas obtinent, & in posterum fatagunt obtinere: Cathedralis autem, & exinde aliae, suae queruntur propterea iustitia detrahi, & excinde civitatibus locorum interdum afferri divinis Officiis impedimentum: videturque inter ipsos litigis & scandalis via aperiri. Nos praemissis obviare cupientes periculis, pacemque desiderantes inter ipsos, sine qua bene pacis auctor non colitur, observari: de fratrum nostrorum consilio hoc edicto perpetuo ordinamus, quod Religiosi dictorum Ordinum mendicantium in nullo Conventu suo, seu loco plures campanas habeant, sine Sedis Apostolicae licentia speciali, sed una tantummodo Pars II.

pro loco quolibet sint contenti. Quod si forsan communitas seu universitas aliqua Ecclesiastica, vel mundana, seu idem Religiosi pro illis, in aliquo ipsorum locorum campanam aliam habuerint, vel nunc habent: non illam, sed aliam solam eorum specialiter usibus deputatam pulsare valeant horis diurnis, & nocturnis, missis & aliis confectis. Ceterum Religiosis eisdem permittimus, quod ubi hactenus plures campanas sine lite, & contradictione qualibet in usus duntaxat proprios habuerint, & nunc habent, illis etiam deinceps liberè uti possint. Aliis quibuscumque per eos habitis intra trium mensium spatium de suis locis seu campanilibus deponendis, & nullatenus iterum reponendis. Verum campanulas, quae in refectoriis, sacristiis, capitulis, & aliis forsan officinis Religiosorum ipsorum consueverunt haberi, sub ista nostra ordinatione nolumus comprehendere. Nulli ergo, &c. Datum ij. Novembris, Pontificatus nostri anno viij.

DE OFFICIO DELEGATI

TITULUS VI.

I. JOANNES XXII. Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. [c. an. 1318. Avinion.]

Litterae Apostolicae impetratae ad gratias seu ad lites in aliquibus civitatibus seu Dioecibus dum erant integrae, non obstante divisione facta de ipsis in duas seu plures civitates seu Dioeceses: quae divisio facta propter divini cultus augmentum, & populi incrementum, & etiam Executores seu Iudices earumdem habeant sub eisdem modo & forma illum exigent in sic divisis, quem habebant in illis, dum integra remanebant.

a Haec Extravagans habetur inter xx. Joan. xxij. sub tit. de conceff. praeb. cum gl. Domini Zenzolini.

SEDES Apostolica in suis actibus veritatem prosequens, lucem amans, libenter evitat nososae ambiguitatis involucrum. Illamque sibi semper in suis ordinationibus reservare cautelam intendit, ut de illis ita proveniant commoda, quod aliis non imminet detrimentum. Sanè pridem ad divini cultus augmentum, & ad salutem populi, quem in nonnullis civitatibus, & Dioecibus sic multiplicat Altissimus, quod in earum singulis singulorum vultu nequibat, ut deceret, unicus Pastor inspicere, aut alias partes boni Pastoris implere: salubriter intendentes in ipsis Dioecibus, quarum nonnullas in duas, & aliquas in plures Dioeceses duximus dividendas, certas earum civitates ac Ecclesias ereximus Cathedralis, quarum singulis proprias, distinctas & limitatas iustissimus assignari. Verum quoniam plures ante ordinationem seu divisionem nostram hujusmodi tam a nobis, quam a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Apostolicas obtinuerunt litteras, super beneficiis Ecclesiasticis in ipsis tunc integris Dioecibus vacaturis, quarum nonnullae restant adhuc executioni mandandae: Nos amovere volentes cuiusvis dubitationis scrupulum, qui circa executionem gratiarum super hujusmodi beneficiis concessarum posset forsan incidere, considerantes attentius, quod per ordinationem seu divisionem nostram praedictam, ius ad rem expectantibus dicta beneficia ante competens ex ratione immutari non debet, quin adeo efficaciter in divinis Dioecibus maneat, sicut in ipsis quondam integris: auctoritate praesentium declaramus, quod omnes & singulae gratiae, super beneficiis vacaturis, ante divisionem hujusmodi in ipsis quondam integris Dioecibus a nobis, vel praedictis praedecessoribus nostris personis quibuscumque concessae, tam in ipsis nunc divisis, quam in aliis Dioecibus decessis ab illis eisdem modo & forma possint suo ordine per Executores demandatos, & alios, ad quos id pertinebit, ad debitam executionem adduci, quibus ante divisiones saepetatas poterant, & debebant. Idem etiam declaramus quoad litteras Apostolicas iustitiam continentes, ut videlicet Iudices dati per illas in causis quorumbilibet personarum, quae nunc de eisdem Dioecibus divisis existunt, possint juxta earum tenorem perinde procedere, ac si dictae Dioeceses, de quibus mentio in eisdem literis habetur, integre remansissent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Avinion. 3. Calen. Novembris, Pontificatus nostri anno ij.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARIUM

TITULUS VII.

I. BONIFACIUS VIII. [c. an. 1301. in Latio.]

Episcopus Monasterium visitans non tenetur accipere Monachos illius Monasterii pro Tabellionibus: etiam si hoc haberet consuetudo: Nec in actu visitationis debet esse solus, sed duos vel tres Clericos cum Notario, qui similiter sit Clericus, secum assumat. H. d.

DEBENT Superioribus suis reverentiam subditi: & dum salubriter ab eis pro culpis correctionem velut curantium